3

IN DANIELEM PROPHETAM

EXERCITATIO ACADEMICA,

Quam Auſpice, & Duce D. THOMA AQUINATE

PUBLICE EXHIBET

F. JOANNES MARRA

In Neapolitano Or. Præd. ejuſdem D. Thomæ Collegio Græcarum, & Hebraicarum litterarum Auditor

AD EMINENTISS. JO. THOMAM BOXADORSIUM S.R.C. PRESB. CARDINALEM AMPLISSIMUM, TOTIUSQUE OR. PRÆD. MAGISTRUM GENERALEM.



N E A P O L I MDCCLXXVII.
EX TYPOGRAPHIA MICHAELIS MORELLI
AUCTORITATE PUBLICA.

Ezech. cap. XXVIII. v. 3.

הִנֵּה חכם אתה מדנאל

Matth. cap. XXIV. v. 15.

Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑστὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ· (ὁ ἀναγινώσκων νοείτω·) Τότε &c.

PRÆFATIO.



Ogitanti mihi sæpenumero, VIRI CL., Supremi Judicis severitatem, qua in quosdam homines interdum ob eorum pervicaciam animadvertit; nullum aliud nec terribilius, nec atrocius supplicium visum est, quam teterrima illa, quæ sacris scriptoribus mentis cæcitas *appellatur: qua qui afficiuntur, clarissimo ipsius veritatis fulgore perstricti aut offensi, in tantas tenebras præcipites ruunt, ut clausis ad manifestissimam lucem oculis, vana specie decepti, falsa pro veris libentissime amplectantur. Hæc pœna, quam se Deus Hebræorum populo irrogaturum olim fuerat comminatus* (1)*, utinam unum illum pertinacem populum tenuisset, & non etiam pari de caussa hujus sæculi sapientes occupasset! Siquidem de iis horrenda est illa Spiritus Sancti apud Jobum comminatio* (2). Apprehendam sapientes in astutia eorum: per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. *Nec sane levibus de caussis, sed magnis potius multisque criminibus lacessitus, gravissimum hoc supplicii genus hujusmodi hominibus clementissimus Deus inferre putandus est: aut enim terrenis caducisque rebus inhiantes, in his toti demersi, ab divinis cælestibusque omnino abhorrent; aut acriori ingenii vi plurimarumque rerum cognitione elati, ad humilium disciplinam comparata Divina oracula superbe contemnunt; aut demum sæpissime exciti divinitus*

(1) Deut. XXVIII. v. 28., & 29. Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.

(2) Cap. V. v. 13., & 14.

nitus, *sunt sæpissime reluctati*, *eorum instar* (1) qui dixerunt Deo: recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus. *Nam si ita non forent affecti*, *neque eos retrorsum infucata pravis opinionibus consuetudo rapuisset*, *nonne unius Danielis Prophetæ lectione proprias tenebras*, *cognita veritate*, *discuterent*, *atque ad officium reverterentur? Ecce enim Daniel*, *cujus monumenta præ manibus jampridem conscripta tenemus*, *res per quingentos & amplius annos gestas ita diserte*, *graphiceque longe ante descripsit*, *ut quidquid in præcipuis orbis terrarum imperiis eo temporis intervallo accidit*, *præsenserit*, *prædixeritque* „ *tanta dictorum fide*, *ut Propheta incredulis hominibus non* „ *videatur futura dixisse*, *sed narrasse præterita* „ (2). *Ipse Servatoris nostri prædicaturus adventum non solum ea*, *quæ facturus passurusque esset ante commemoravit*, *sed etiam tempus præsignavit*, *numerumque adscripsit annorum*, *qui ad eum usque intercessere*, *aperte collectis his omnibus calamitatibus*, *quæ mox post admissum a Judæis perfidiæ scelus in eos essent invasuræ*. *Ipse & Chaldæorum regibus quænam eventura*, *quique eorum essent ditionem occupaturi*, *aperte prænuntiavit*; *atque sub emblemate & imagine modo simulacri ingentis*, *modo quatuor animalium e pelago emergentium celebriora terrarum orbis imperia se mutuo excipientia*, *atque evertentia clarissime prænovit*, *vivisque coloribus designavit*. *Darii Hystaspidos*, *Xersisque adversus Græcos*, *Alexandri M. in Asiam expeditiones*, *hujusque de Dario Codomanno celerrime relatas victorias*, *præmaturum ejusdem decessum*, *distributionemque parti ab eo imperii in quatuor præcipuos Duces*, *quantasque subinde isti mutuo sibi essent clades illaturi*, *pacisque postmodum inter eos fœdera*, *connubiorum jura*, *tum rursus sæva post factam reconciliationem bella*; *hæc omnia*, *in-*

(1) Job. cap.21. v.14.
(2) *S. Hieronym. Præf. in Danielem*.

inquam, aliaque id genus plura in Daniele qui percurrerit, apud rerum gestarum scriptores ea ipsa se legisse putabit. Ad hæc si quis docilem animum & a præjudiciis liberum adferat, intelliget porro tantam eximii hujus vatis oraculis vim inesse, ut nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis divinam claritatem. Verum si illi pravis opinionibus pertinaciter inhærentes obdurant sese contra manifestam veritatem, lucemque relinquunt, nos, ut inquit ille, " non canimus surdis. " Nostri enim agnoscentes quantum in sanctissimo illo sapientissimoque Propheta cum omni tempore, tum præsertim hac tempestate emolumenti sit ad veræ Religionis hostes refellendos, continendosque in recta fide Orthodoxorum animos, Divinissimum volumen assidue seduloque versabunt. Ea de caussa, quum pro solemni more discipulorumque exercitatione statis annis oporteat aliquot sacri codicis veteris loca explananda seligere, visum ex hoc ipso Propheta pauca rudi Minerva collecta delibare. Quod levissimum specimen gravissimi tui nominis auspicio exhibemus CARDINALIS AMPLISSIME. *Tu namque hoc nostri erga Te studii & voluntatis indicium levidensis muneris loco jure a nobis repetis; cum ob plurima maximaque & universe & privatim in nos collata beneficia, nostramque tanto Duci debitam observantiam; tum potissimum quia toto vitæ tuæ genere & instituto maximam cum argumenti quod tractamus scopo & fine obtines affinitatem. Nam pridem reipsa (quod equidem maximi est momenti) Christianæ Religionis osoribus ostenderas posse ejus cultores, etsi clarissimis natalibus ortos, omnique opum copia affluentes, suavi servatoris gratia adjutos, sæculi deliciis blandimentis pompisque, contra depravatæ naturæ vim, valedicere, severumque institutum alacriter amplecti. Quum vero felicissimus dies ille illuxisset, quo ad supremum Prædicatorii Ordinis culmen evectus es, universi fausta omnia maximaq. in Ordinem redundatura esse bona augurabantur. Nec suæ eos fefellerunt spes. Siquidem ab ipso*

susce-

susceptæ salutaris gubernationis initio quum animadvertisses duplici potissimum armorum genere sacrosanctam Religionem ab hoste impeti, & subtilibus argumentis ex Metaphysica depromptis, (qua in Disciplina Angelicus Præceptor noster S. THOMAS, ut in ceteris aliis omnibus præstantissimus est & pene Divinus) & ad primigenios textus provocatione; Tu ambabus istis impressionibus adversariorum prudenter occurristi: nam & Angelicæ doctrinæ, unde maxima in Ordinem nostrum commoda numquam non redundarunt, arctius ejus Alumnos illigari, sanctiusque ac religiosius ejusdem placita servari, fontemque ipsum adiri jussisti: Linguarum vero Orientalium studia, quorum olim nostra Familia eximios cultores protulit, ut cum primis ab hominibus nostris colerentur semper cordi tibi fuit. Ex quo facto ut grandis nobis utilitas, sic non exiguus præclarissimis virtutibus tuis cumulus & honos accessit; tantorumque memoria meritorum apud nostros florebit sempiterna. Nunc vero quoniam apud Pontificem Maximum Pium VI. eum locum tenes, ut in primis carus habearis, ab eodemque in Amplissimum Cardinalium Ordinem sis cooptatus, faxit Deus, ut diuturna felicitate usus, Ordini nostro pari benevolentia consulas; tutelamque ejus, ut ipse sanxisti, Successoribus tradas.



CAPUT I.

Verf. 1. בשנת שלוש למלכות יהוקים מלך יחודה בא נבוכדנאצר מלך־ בכל ירושלם ויצר עליה

Anno tertio Joakimi Regis Judæ venit Nebucadnetſar Jeroſolimam, & obſedit eam.

Quod hic *anno tertio* Joakimi geſtum eſſe ſcribitur, pugnare videtur cum eo, quod eſt *Jerem.* 25. 1. notatum; *in anno*, inquit, *quarto Joakim filii Joſiæ regis Juda; ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor regis Babylonis*. Qui igitur fieri potuit, ut Nabuchod. anno tertio Joakimi (quod hic legitur) Jeroſolimam expugnaverit, quum anno ejuſdem quarto juxta Jeremiam regnare cœperit? ſed reipſa nullam inter utrumque vatem pugnam ineſſe deprehendemus, ſi ſcriptorum in rebus enarrandis conſuetudinem meminerimus. Solent enim illi in ſubducendis annis ſummam ex cœptis etiam conficere, & promiſcue annum vel incœptum, vel abſolutum adhibere; quod hic contigit; nam quod de anno tertio jam exacto *Daniel*, de anno quarto ineunte accepit *Jeremias*. Quæ explicatio nonnullum etiam in re grammatica præſidium habet; nam τὸ בשנת שלוש, *in anno tertio* reddi aptius poteſt: *poſt annum tertium*; ut & *Exo.* 2. 23. כימים הרבים i. *poſt dies multos*, quemadmodum LXX. græce tranſtulerunt: μετὰ δὲ τὰς ἡμέρας πολλὰς

Hæc hujuſce nodi expediendi ratio multo commodior eſt illa, quam Calvinus *comment.* in hunc locum adinvenit, afferens, Danielem de Nabuchodonoſore patre hic ſermonem habere, Jeremiam vero de filio, qui ob res præclare geſtas magni ſibi cognomen peperit: pro certo enim habet ambos eos Reges eodem nomine fuiſſe. Sed præterquamquod iſtius Nabuchodonoſoris a Magno illo diverſi, quique profanis ſcriptoribus *Na-*

bopolassarus dicitur, nulla uſpiam in ſacris literis mentio eſt; facile intelligitur Danielem non de alio quopiam Nabuch. eſſe locutum, quam de eo, qui ſe ceteroſque nobiliores Judæorum adoleſcentes captivos Babylonem traduxit; At nulli ante Nabuchodonoſorem M. Judæi Babylonem abducti leguntur, ut ex ſacra Hiſtoria, & ex Beroſo pronum eſt intelligere.

Anno igitur tertio abſoluto, quarto autem ineunte Nabuchod. magnus Joakimum debellavit, Danielemque cum ſociis Babylonem captivum duxit. Nec quemquam movere debet quod adverſus hanc ſententiam *Maldonatus* attulit ex *Jerem.* 52. 28., ubi videtur Propheta Judæorum neminem ante annum 7. Nabuchod. Babylonem perductum prodidiſſe. Siquidem fallitur vir doctus: *Jeremias* enim loquitur de ampliori quadam & promiſcua populi Judaici abductione: *iſte eſt populus*, ajens, *quem tranſtulit Nabuchodonoſor*: *in anno ſeptimo Judæos tria millia, & viginti tres*. At *Daniel* hoc loco captivitatem delectorum quorumdam Juvenum recenſet, qui eſſent „ e prole regia, eque principibus, formoſi, vitii omnis expertes, diſciplinarum ſcientes, ut in Regia ſtare poſſet, & literas & linguam chaldæorum doceri " ut ex verſiculis 3. & 4. hujus Capitis liquet. Quod miror egregium alioquin Interpretem *Maldonatum* non vidiſſe.

Verum Joſephus l. 10. Ant. c. 7. tradit anno quarto Joakimi Nabuchodonoſorem quidem in ipſo Regni exordio bellum intuliſſe Ægyptio Regi, atque ab hoc Syriam omnem uſque ad Peluſium abſtraxiſſe, at nequaquam Judæam, nedum Jeroſolimam, attigiſſe; quin nonniſi anno quarto poſtquam ipſe regnare cœpit, Joakimi autem octavo, primam in Judæos expeditionem ſuſcepiſſe ſubdit. Sed fidem non habemus Joſepho contra expreſſum ſcripturæ, imo & *Beroſi* ab ipſo non ſemel producti teſtimonium narranti. Hæc autem ille refert, quæ cum recitatione Danielis magnopere conſentiant: „ quum au-

„ diſ-

„ diſſet, ajens, Pater ejus Nabopollaſſarus; qui in Ægypto, „ Syriaque Cele, & Phœnicia, præpoſitus fuerat, defeciſ- „ ſe, ipſe ferendis laboribus per ætatem impar filio Nabu- „ chodonoſoro adhuc juveni tradidit partem exercitus, ut de- „ ſertorem bello peteret. Hic autem cum eum aggreſſus eſ- „ ſet, prælio ipſum cepit, omnemque regionem iterum ſub im- „ perium redegit. Sub id tempus evenit, ut Pater ejus Na- „ bopollaſſarus, cum morbum contraxiſſet, in Urbe Babi- „ lone de vita decederet; poſtquam regnaverat annos vigin- „ tinovem. Nabuchodonoſor poſt id ſimul ac Patris morbum „ intellexit, rebus Ægypti, vicinarumque regionum bene or- „ dinatis, amico cuidam commiſit captivos ex *Judæis* Phœ- „ nicibus, & Syris, & ex Ægypti populis una cum exerci- „ tu, rebuſque aliis ſervari dignis reportandos Babylonem; „ Ipſe cum comitibus paucis breviore per deſertum via Ba- „ bylonem ſe contulit. Ibi cum reperiſſet res a Chaldæis ad- „ miniſtrari, & ipſum regnum aſſervari ab eorum peritiſſi- „ mo totum patris, quod fuerat, imperium adeptus eſt, ca- „ ptiviſque conſpectis juſſit illis idoneas per Babylonicum Im- „ perium Colonias aſſignari, ipſe vero de belli manubiis Be- „ li, aliaque templa ornavit ". Hactenus ille apud *Joſ. p. li. cit.*, & l. 1. *contra Apionem*.

Igitur in priori illa expeditione Nabuchod. juxta Beroſum omnia ferme geſſit, quæ hoc capite a Daniele narrantur, ac proinde memoria lapſus eſt Joſephus his contraria ſcribens (1).

 Cu-

(1) Exciderant nimirum *Joſepho*, quæ ex *Beroſo* narrave- rat, dumque multiplex *Nabuchodonoſoris* in Judæos expeditio in ſcripturis expreſſa ſimul ejus obverſabatur animo, facile ipſi contigit ut res diverſo tempore geſtas commiſceret. Qua- re, quum non dedita opera peccarit, non meruit vir graviſ- ſimus acrem illam & illiberalem Joannis Calvini cenſuram : *Fuit*

Cujus errorem, quum fugere atque emendare debuissent acuti quidam & eruditi nostræ ætatis Critici, magno ingenii conatu renovare conati sunt, ac in primis *Petrus Brinchius* (1): qui nulla solida ratione innixi, duplex commenti sunt Joakimi regni initium; prius quo a Pharaone Nechao, excluso Joachazo fratre, Rex est constitutus; alterum quo a Nabuchod., imposito tributo sub jugum missus est.

Vers. 2. ויתן ארני בידו את יהוקים מלך־ יהודה ומקצת

Tradidit autem in ejus manum Dominus Jehojakimum Regem Judæ.

In potestatem quidem Regis Chaldæorum devenit, at minime regnare desiit: supplex enim ac vectigalis factus Tyranno, traditis obsidum loco nobilibus, libertati denuo regnoque restituitur. Ex hoc autem loco, & ex 4. *Reg.* 24. non apparet *Joakimum* Babylonem traductum a Chaldæis fuisse, quamvis non pauci sint, qui contra opinentur, ducti auctoritate 2. *Paralip. c.36.v.6.* ubi juxta vulgatam habetur: *vinctum catenis duxit in Babylonem*. Sed bene est quod docti piique viri animadvertunt *τὸ duxit* solemni scripturæ & primigenii textus phrasi tantumdem esse, ac *ducere in animo habuit*. Cui expositioni hebraicus ipse fons non contradicit, qui ad verbum ita redditur (2): *vinxit eum ad ducendum*, seu *ut duceretur Babylonem.*

Vers.

Fuit homo indoctus & minime exercitatus in scriptura. Horribile fuit illud Dei judicium, quod Sacerdos fuerit tam brutus homo, ut est Josephus.

(1) *Exam. Chron. & hist. Fl. Josephi c.6. n.4*

(2) ויאסרהו לתליכו בבלה

Verſ. 3. ויאמר המלך לאשפנז רב סריסיו להביא מבני ישראל &c.
Dixit vero Aſphenazo, Eunuchorum præfecto, ut adduceret de filiis Iſrael &c.

Perperam ex hoc loco, & ex voce סריסיו inferretur Danielem cum ſociis exſectum fuiſſe. Quamvis enim (origine ſua exectos ſignificare non abnuerim (סרס enim chaldaice eſt avulſit) nego tamen eam vocem quocumque demum loco in ſacris literis reperiatur, pro *ſpadonibus*, ſeu caſtratis uſurpari. Ut ecce Putiphar *Gen.* 40. 1., licet maritus סרים Pharaonis vocatur, itemque dum *Gen.* 41. 1. Præfecti pincernarum, & piſtorum ſimiliter nominantur; non ſtatim conſequitur ipſos fuiſſe caſtratos. Ita E.G. quod in vocibus ***Senator***, πρεσβύτερος uſuvenit, ut ab ætate primum impoſiti, deinde ad officium denotandum transferrentur; hoc ipſum perinde accidiſſe in eâ hebræa voce tenendum eſt, ut nempe a priori nominis etymo deflexa quoſvis ſignificaret, qui aliquod in aula regia obſequium, aut miniſterium exhiberent. Sicut contra græca vox εὐνοῦχος quæ originis ratione ***lecticuſtodem*** deſignabat, pro *caſtratis* uſurpari cœpta eſt, poſtquam Principes, potiſſimum Orientales, non aliis quam caſtratis uxorum, filiarumque curam commiſerant. Quare, quamvis hoc loco Daniel Præfecto Eunuchorum traditus deſcribatur, non inde tamen inferas cum Hebræis eumdem fuiſſe eviratum; præſertim cum nullis cuſtodiendis mulieribus adhibitus ſit. Nec Iſaiæ Vaticinium 4. *Reg.* 20. quo prædixerat Ezechiæ Judæ Regi fore, ut pro inanis gloriæ culpa poſteri ejus fierent סריםם Regis Babylonii, quidquam evincit: ſatis enim pœnarum dediſſet Ezechias, ſi pueri e regia ejus ſtirpe ſati alienigenæ barbaroque regi ſervi futuri eſſent.

Verſ.

Verſ. 21. ויהי דניאל עד־שנת אחת לכורש המלך

Fuit autem Daniel uſque ad annum primum Cy..
Regis .

Si quis hujus commatis hanc dicet eſſe ſententiam , ut Daniel vixerit uſque ad annum primum Cyri , poſt quem ſit fato functus , procul dubio falletur : capite enim 10. hujus libri legimus oblatum Prophetæ fuiſſe viſum *anno tertio Cyri* . Ergo vel per illa verba non intelligitur certum , ac determinatum tempus ; quod Hebræus , & Græcus Textus videntur innuere , qui ſic habent עד־שנת אחת ; ἕως ἔτους ἑνός ; i. *uſque ad annum unum* ; quaſi voluerit indicare Propheta ſuperſtitem ſe fuiſſe uſque ad regnum Cyri , qui laxata captivitate Judæis in patriam remeandi facultatem conceſſit : quæ eſt opinio doctiſſimi Theodoreti . Si autem preſſius vulgatæ velimus inſiſtere , dicemus : particulam *uſque* non ſemper in ſacris litteris ſignare rei geſtæ terminum , poſt quem res illa deſierit , ſed permittere interdum , rem ultra terminum illum excurrere . Sicut Jeremias cap. 1. dicitur vaticinia edidiſſe *uſque ad tranſmigrationem Jeruſalem ;* & tamen novimus , eumdem Prophetam etiam ultra id tempus prophetaſſe .



CAPUT II.

Verſ. 1. ובשנת שתים למלכות נבכדנצר חלם נבכדנצר חלמות ותתפעם רוחו ושנתו נהיתה עליו

Anno ſecundo regni , Nebuchadnetſar ſomnia habuit , quibus animus ejus territus eſt , & ſomnus abruptus.

Non levis hîc ſtatim ſponte ſua omnium animis objicitur difficultas ; cur nempe ſecundus Nabuchodonoſoris annus dicatur, quum

quum ad minimum quartus regni ejus annus eſſe debuiſſet: nam a Joachimo debellato, & ab Daniele abducto, qui ſolidum triennium in condiſcendis Chaldæorum litteris contrivit, quatuor ſaltem anni jam effluxerant. *Joſephus* lib. 10. *Antiq.* una cum Gentilium ſuorum turba ſecundum hic annum dictum cenſet, non ex quo regnum gubernandum ſuſcepit, ſed ab Ægyptiaca vaſtitate, & ab inſigni quadam, quam de Ægyptiis, Syris, Idumæis, Ammonitis, aliiſque finitimis populis reportaverat, victoria. Hæc difficultatis diſſolvendæ ratio, quamvis ceteris aptior videri poſſit, quæ ad hunc nodum expediendum adferuntur; minus tamen ſecura viris clariſſimis viſa eſt, quod minime cum ſacra, profanaque hiſtoria cohæreat. Satius itaque eſt, ut dicamus, Nabuchodonoſorem ſimul cum patre quatuor regnaſſe annos, deinde mortuo parente, ſolum; ita ut qui ſecundus hic dicitur regni annus, & ſecundus erat, & quartus ad diverſa numerandi principia revocatus: quartus nimirum ex quo fuerat a patre in regni adſcitus ſocietatem; ſecundus vero a patris obitu, a quo totum imperium ſummo jure ſolus obtinuit. Nec diverſa hæc annos regum putandi ratio præter veterum ſcriptorum morem cenſenda eſt: ſolebant enim priſci Orientis reges, ut auctor eſt *Herodotus lib.* 1. *&* 7., heredes ſuos regio titulo adornare, quum eos mitterent, aut proficiſcerentur ipſi ad gravem aliquam expeditionem: hiſtorici autem de ſumma annorum regni eorumdem locuti, utramlibet numerandi rationem ſequi in more habuerunt.

Hebræa autem vox ותתפעם (quæ & *gen.* 41. 8. ſomnii Pharaonis cauſſa adhibetur) i. *conterritus*, *perculſus*, ſeu *contritus fuit ſpiritus ejus*, perſpicue indicat, ſomnium non fuiſſe vulgare: neque enim tunc primo ſomniare coepit rex; neque ita fuit exterritus ſingulis noctibus, ut omnes Magos arceſſi juberet: terror igitur, quem Deus regis animo incuſſerat, id eum facere coegit. Quamquam autem exacte ſomnii non meminerat; manſerant tamen in ejus animo (ut bene ani-

animadvertit S. Hieronymus) vestigia quædam, & veluti lineamenta, per quæ, referentibus aliis, reminisci posset eorum, quæ viderat, & nequaquam eum deciperent mentientes.

Hujus autem ætatis increduli (ut hoc obiter dicamus) non omnibus solum omnino somniis fidem abrogant; verum etiam illa cachinnis, & sibilis excipiunt. Sed si illi apud ceteros, sapientes existimari vellent; in primis somniorum delectum habere debuissent: nam etiam solius naturæ lumini, unisque profanis auctoribus inhærendo, temere negare id, quod omnis ætatis, omniumque gentium, & locorum historici memoriæ prodiderunt (ut scite animadvertit *P. Baylus* hac in re minime suspectus) plane indicium est animi aut parum ingenui, aut brevis intelligentiæ (1). Et certe nonnulla extiterunt insomnia, quibus graves etiam, probatique viri fidem præstiterunt: ut fuit Calphurniæ somnium Julii Cæsaris uxoris, ante ejusdem necem vulgatum; somnium item

---

(1) *Je croi que l' on peut dire des songes la même chose à peu-pres que des sortileges: ils contiennent infiniment moins de mysteres que le Peuple ne le croit, & un peu plus que ne le croient les Esprits forts. Les histoires de tous les tems, & de tous les lieux raportent, & à l' ègard des songes, & à l' ègard de la Magie, tant de faits surprenans, que ceux qui s' obstinent à tout nier se rendent suspects, ou de peu de sincérité, on d' un dèfaut de lumiere qui ne leur permet pas de bien discerner la force des preuves. Une preoccupation outrée, ou un certain tour d' esprit naturel leur bouche l' entendement, lors qu' ils comparent les raisons du pour avec les raisons du contre*. P. Baylus in Dict. crit. A. Majus. R. D. Idem alibi, quum somnium quoddam, reipsa comprobatum, Joannis Maldonati ex Alegambe retulisset, subdit. *De tels faits, dont l'Univers est tout plein, embarassent plus les esprits forts qu' ils ne le témoignent*. A. Maldonat K. G.

item Medici illius, qui juſſit, Auguſtum, quo die pugnatum eſt, extra tentorium efferri : quandoquidem ſomniaverat, ut reipſa accidit, caſtra ab hoſtibus capta . Idem de quibusdam id genus aliis judicium eſto .

Nec proinde omnia τῶν ὀνειροκριτικῶν tum veterum , tum recentiorum deliramenta conſectamur: quamvis e poſtremis quidam claros habeat admiratores (1) . Nec dubitamus , quin multa , quæ de ſomniis referuntur , ſint fabulis amandanda ; ſicut & non ambigimus , pleraque ſomniorum natura ipſa , vel occaſione ex diverſis cauſſis oriri , nempe vel ex diurnis cogitationibus ; ut ſi quæ fuero interdiu meditatus , noctu mihi in ſomniis objicientur : qua de re veriſſima cenſemus ,

 quæ

(1) *Hic nempe eſt Junianus Majus , qui ſæculo XV. Neapoli magna cum laude humaniores litteras docuit; cujus vim in ſomniis interpretandis duo celebriores ejus diſcipuli Alexander ab Alexandro , & Jacobus Sannazarius magnopere commendarunt . Prior enim Genial. dier. lib. I. cap. 11. ita loquitur de illo:* Somniorum omnis generis ita verus conjector fuit , ut ipſius reſponſa, Divina fere monita haberentur. Ad eum memini , cum puer adhuc eſſem , & ad capiendum ingenii cultum frequens apud eum ventitarem, quotidie ſomniantium turbam , hominesque celebri fama , & multi nominis , de ſomniis conſultum veniſſe . Declarabat ille non breviter , aut ſubobſcure , ut plerique, ſed expoſite, atque aperte ænigmata ſomniorum , ſive boni , ſive mali prænuncia : ita apte , ut judicium factum a veridico diceres. Multi quoque illius monitu , vitæ interitum , nonnumquam animi ægritudines vitarunt.

Al-

quæ ex Epicuri sententia cecinit Petronius in Satyr (1); Deinde varii adfectus animi vel corporis etiam somnia pariunt; ut si quis tristitiam secum in lectum adferat, vel ex amici morte, vel ex aliquo damno, vel ex injuria sibi illata, vel rebus quibuslibet adversis, somnia item concipiet, quemadmodum illa animi præparatio feret: corpus etiam ipsum somnia generat; ut videmus eos, qui febre laborant, nunc fontes imaginari, si ipsos sitis urgeat; nunc incendia, nunc multas alias imaginationes concipere.

Sunt igitur hæ naturales, & humanæ, ut ita dicam, plerumque somniorum caussæ, sed præter eas nullas alias caussas superiores admittere, quæ in hominis animum imprimant interdum per somnium imagines, quæ futura portendant, hominis est aut nullas pu-

Alter autem Eleg. VII. lib. II.

At tibi venturos, Mai, prædicere casus
Fas est, & mites consuluisse Deos.
Nec tantum aræ fumos, aut nuntia sentis
Fulgura, sed stygiis somnia missa locis,
Somnia, quæ miseram perturbant sæpe quietem,
Dum mens incertis pendet imaginibus.
O quoties per te vanum posuisse timorem
Me memini, & lætos continuasse dies!
O quoties, trepidus cum non spernenda putarem,
In nostrum cavi damna futura caput!
Sæpe &c.

(1) *Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,*
Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt;
Sed sibi quisque facit. Nam cum prostrata sopore
Urget membra quies, & mens sine pondere ludit;
Quidquid luce fecit, tenebris agit, oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas sævit in urbes &c.

putantis esse naturas humana majores, aut si ponat, easdem in corpora agere posse negantis : quorum utrumque est a ratione & a SS. scripturis alienum : ut alias pluribus ostenditur. Atque ita sacræ litteræ passim, & somnia divinitus immitti, & somniorum divinitus immissorum exempla tradunt. Hinc Jobi 33.15. *Loquitur Deus per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines. & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina; Ut avertat hominem ab iis, quæ facit, & liberet eum de superbia; eruens animam ejus a corruptione, & vitam, ut non transeat in gladium.* Non absimilia leguntur *Job.* 4. 13. *Num.* 11. 6. & alibi.

Verf.2. ויאמר המלך לקרא לחרטמים ולאשפים ולמכשפים
Et jussit rex vocari ariolos, & magos, & maleficos, & Chaldæos.

Varia hæc sunt nomina hominum diversis studiis conjectandi augurandive addictorum. Quid singula presse distincteque significent explicare adeo facile non est. Generatim divinandi, atque futura conjiciendi vocabula sunt. Ac prima quidem hebræa vox חרטמים a Græcis ἐπαοιδοὺς vertitur, i. *incantatores*; videnturque S. Hieronymo esse illi, qui verbis rem peragunt : quamvis vocis origo generatim *occultorum scientes* designet. Altera vox אשפים videtur idem significare, quod græcum Σοφοὶ : eadem enim prorsus elementa utraque in lingua reperiuntur. S. Hieronymus autem reddidit *Magos*, non in malam partem vocabulum sumens, sed juxta suam originem, qua *Philosophi* seu *rerum contemplationi addicti*, significantur : quare in commentariis inquit : *Magi sunt, qui de singulis philosophantur*. מכשפים autem recte eidem S. Doctori sunt malefici, qui sanguine utuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum; qui proinde a Grotio Νεκρομάντεις ex Jacchiadis sen-

sententia adpellantur . Reddi etiam vox potest eodem sensu cum aliis *præstigiatores*; ut & *Exod.7. v.11*. Postrema denique vox כשדים *astrologos* certe denotat, seu *genethliacos*, qui ex uniuscujusque themate eventus vitæ solebant prædicere: seu qui ex astris, aliisque signis res futuras, & occultas prænunciabant. Etsi autem nomen hoc gentile esset, Sacerdotes tamen sibi illud præcipue vendicarunt, quasi penes ipsos esset totius gentis nobilitas, & præstantia. Quamobrem ut *Arabs* pro latrone, *Chananæus* pro mercatore, ita *Chaldæus* pro Astrologo non semel apud Auctores usurpatur. Nam quum gens illa addictissima esset Astrologiæ; præcipue autem in ea scientia excellerent Sacerdotes Chaldæorum; factum est, ut hi, teste *Diod. Sicu. l.2.* simpliciter Chaldæi nominarentur. De quibus sic Cicero *lib.1. de Divin.* : *Chaldæi*, inquit, *non ex artis*, *sed ex gentis vocabulo nominati*, *prædicere dicuntur quid cuique eventurum*, *& quo quisq. fato natus esset*. Strabo quoque *lib. 6. constituta est habitatio peculiaris in Babylonia Philosophis indigenis*, *plurimum astronomiam tractantibus*, *qui Chaldæi adpellantur*. *Sunt ex eis*, *qui e natalibus hominum eventura iis vaticinabantur*. Idem apud *A. Gellium*, *& Juvenalem* videre est.

Vers. 40. ומלכו רביעיא תקיפה תהוא כפרזלא כל קבל די פרזלא מהדק וחשל כלא &c.

Et regnum quartum erit velut ferrum : quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.

In celeberrimo illo simulacro Nabuchod. regi per quietem viso, nulla unquam inter sacros Doctores controversia fuit, quænam regna, priora duo simulacri membra portenderent. Nam quoad prius attinet perspicuum est Danielis testimonium, ita Babylonium regem alloquentis; *tu es caput aureum*. Quum vero Cyrus Persarum Medorumque rex Babyloniorum regnum everterit, Persicæque Monarchiæ fundamenta jecerit; clarissime

ſime conſequitur ; non aliud per pectus & brachia argentea præſignari , quam Perſarum imperium . Quænam autem imperia per alias duas ſtatuæ partes denotentur , non ſatis inter eruditos convenit . Sed ſi ſemel conſtitutam explicandi normam , & rationem ſequamur , ut illud proxime in regnorum ſerie intelligatur , quod anterius diruerit , illudque ſtatim exceperit , non video cur hac de re potuerit eſſe inter doctos viros tanta diſſenſio . Siquidem ſi Perſarum imperium ſecundum in ordine collocemus , quia proxime ſecutum fuit Babylonicum ; quum Græci ſubinde Perſas exceperint , ac denique Romani Græcos in ſuam ditionem redegerint ; clare patet, non aliorum fuiſſe regnum tertium, niſi Græcorum; nec proinde aliud quam Romanorum , quartum imperium extitiſſe .

Verum illi tertium regnum Alexandri Macedonis eſſe ajunt; quartum autem Seleucidarum , & Lagidarum , ſeu regum Syriæ , & Ægypti , qui præcipui velut duo ſurculi fuerunt ex magno illo Alexandri ſtipite oriundi . Sed perperam illi Lagidarum , & Seleucidarum imperia ab Alexandri Magni imperio , (quod breviſſimum fuit) tamquam omnino diverſa diſtrahunt ; quum potius animadvertere debuiſſent , ſub emblemate *ventris duorumque femorum* omnia tertio eſſe loco comprehenſa . Reges enim Syriæ , & Ægypti minime Alexandri regnum deſtruxerunt , ſed ex Imperatoris ſui veluti manu dominium acceperunt : Græci enim & ipſi fuerunt, & una cum Alexandri Magni imperio unum Græcorum imperium conſtituerunt. Hinc Angelus Danielem alloquens *cap.* 8. *v.* 21. perſpicue ex utriſque unum imperium facit , quum ſub una eademque hirci caprarum figura, Alexandri ſucceſſorumque ejus regnum comprehenderit, ajens: *hircus caprarum, rex Græcorum eſt, & cornu grande, quod erat inter oculos ejus, ipſe eſt rex primus . Quod autem fracto illo ſurrexerunt quatuor pro eo ; quatuor reges de gente ejus conſurgent , ſed non*

in

in fortitudine ejus. Cujus etiam sententiæ fuisse videtur L. Paullus Æmilius in oratione, quam eodem die habuit, quo Perseum Macedonum regem devicit: *præsens*, ait, *fortunæ mutatio exemplum nobis ante oculos ponit communis imbecillitatis humanæ, & nihil durabile, nec firmum esse docet . . . . Alexandri successionem, qui in altissimum dignitatis culmen evasit, unius horæ particula eversam conspicitis* (1). Quid quod extrema, i. quarta Monarchia stante, Divinus reparator orbis Messias proditurus erat? Scriptura enim diserte loquitur: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus Cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur &c.* (de quo mox sermonem sumus facturi) Porro Christus Mundo adparuit tum, quum reges Ægypti, & Syriæ nulli essent, Romanorum autem imperium tunc maxime floreret.

Vers. 44. וביומיהון רי מלכיא אנון יקים אלה שמיא מלכו רי לעמין
לא תתחבל ומלכותה לעם אחרן לא תשתבק מחותסך
כלאלין מלבותא והיא תקום לעלמיא :

In diebus regnorum illorum suscitabit Deus Cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.

Vehementissime mirari subit, Hugonem Grotium gravissimum virum, quintum hoc regnum *a Deo Cæli suscitandum* ad imperium Romanum retulisse: quum adeo magnifica, splendidaque epitheta: *In æternum non dissipandum, alteri Populo non tradendum, in æternum duraturum*, nulli alii, nisi spiritali Christi regno attribui possint. Jamdudum enim vetus Romanorum im-

(1) *Apud Plutarchum in L. P. Æmilio*.

imperium dissipatum est, Francisque, Germanis, Turcis, aliisque traditum est. Nec quemquam aut parilis adhuc servatæ appellationis, aut ejusdem loci ratio fallat; quum nec nomen, aut locus, sed gens & reipublicæ forma faciat imperium; quam antiqui Romani imperii formam nullus non videt modo obliteratam esse. At contra cernimus spirituale Christi regnum adhuc firmum perdurare; & juxta Danielem hoc loco, aliorumque oracula Prophetarum in æternum illud duraturum, constantissime profitemur. Isaias namque *cap. 9.* De Messia verba faciens, *factus est*, inquit, *principatus super humerum ejus . . . multiplicabitur ejus imperium . . . super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia amodo, & usque in sempiternum*. Michæas etiam *cap. 4. De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter Populos multos & corripiet gentes fortes usque in longiquum . . ., & regnabit Dominus super eos in monte Sion ex hoc nunc, & usque in æternum.* Sed clarius Daniel ipse cap. 7.; *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus Cæli quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes Populi, tribus, & linguæ, ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum, quod non corrumpetur*. Quibus veterum sacrorum Vatum oraculis concinunt Angeli Gabrielis ad Mariam Virg. verba de nasciturо Christo afferentis: *hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*. Lucæ I. Deinde *lapis* (quo nomine apud Prophetas Messias adumbratur) qui ingentem illam Statuæ molem percusserat atq. contriverat, sine manibus *De monte abscissus* dicitur, h. e. sine vi, atque ope humana. Dici autem nequit, Romanorum im-

imperium sine manibus, i. humana industria, & vi crevisse, quum potius militum virtute, & robore, aliisque humanis adminiculis in maximum illud potentiæ fastigium pervenerit. Grotii autem evasio, qua ad Romanum imperium superiora Danielis verba refert, *quatenus futurum erat sedes Ecclesiæ*, nullius momenti est. Quandoquidem cum *Huetio* (1) a Grotio petimus: quum hoc ait, vel sibi vult in Romano imperio Ecclesiam solam spectari, vel Ecclesiam cum Romano imperio. Si primum, profecto verisimile non est Danielem vaticiniis suis nobilissima notantem imperia, longe omnium nobilissimum, Romanum præteriisse; si postremum, falsum est, quod affingit Danieli, Romanum imperium numquam dissipatum iri, cujus vix umbra nomenque superest.



C A P. III.

V. 24. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.

Hæc periocha cum aliis, quæ sequuntur usque ad 90. hujusce capitis comma in Hebræis voluminibus S. Hieronymi ætate non extabat, ut ipse testatur in præfat. & comment. ad hunc locum Danielis. Sed procul dubio extiterant Theodotionis ætate, & aliorum Græcorum interpretum: nam alioquin ex quonam fonte hausissent illi, qui Hebræorum volumina Græcis se auribus reddere profitebantur? Nec profecto catholica Ecclesia in comitiis Tridentinis in librorum Divinorum canonem suscepisset, ni veteris Ecclesiæ traditione, & auctoritate permota, eas particulas in Hebræo fonte extitisse divinitus edocta comperisset. Nam utut illæ ex hebræis codicibus, vel tem-

(1) *Dem. Evang. Prop. 9. c. 8.*

tempora injuria ; vel alia quacumque de causa incomperta nobis exciderint, exploratissimum sane est (ut recte adversus *Dupinium R. Simonius* (1) advertit) Judæos Hellenistas late per orbem diffusos, in suis Synagogis eas prælegisse tamquam ex hebraicis fontibus haustas : dictionisque character hebraismum redolens idipsum magnopere confirmat. (2) Quare florentissimæ olim totius christiani Orbis Ecclesiæ Romana, Alexandrina, & Africana (quod ex recensione *Innocentii* I. *Origenis*, *Athanasii*, & *Augustini* constat) ut illas a Judæis Hellenistis acceperant quam diligentissime custodierunt.



C A P. IV.

Vers. 30. בה שעתא מלתא ספת על נבוכדנצר ומן־אנשא טריד ועשבא כתורין יאכל ומטל שמיא גשמה יצטבע :

Eadem hora sermo completus est super Nabuchod. & ex hominibus abjectus est, & fenum, ut bos comedit, & rore cæli corpus ejus infectum est &c.

In hac miranda Regis Nabuchud. μεταμορφώσει, (cujus etiam Ethnici scriptores meminere (3)) explosa tamquam erronea Origenistarum sententia, qui ut pleraque alia hanc regis transmutationem ad allegoriam detorquebant, præ oculis habendum

est

(1) *Critique des Prolegomenes de la Bible L.1. c.IV.*

(2) *Hujusmodi est illud quod ex ver. 25. Maldonatus retulit*. Stans autem Azarias &c. *quæ phrasis similis profecto est illi* 3. Reg. 8. 55. stetit & benedixit Ecclesiæ: & *sexcentis aliis*.

(3) In his Abydenus, qui apud Eusebium lib. 9. præpar. Evan., ait *Nabuchodonosorem, quum superbia elatus esset, divinitus furore correptum*.

est S. Augustini effatum (1) : *Hæc* (quæ de transformationibus arte Dæmonum hominibus videntur accidere , qualia Apulejus libris , quos *asini aurei* titulo inscripsit , sibi ipsi accidisse , aut indicavit , aut finxit) *vel falsa sunt , vel tam inusitata , ut merito non credantur . Firmissime tamen credendum est , Omnipotentem Deum omnia posse facere , quæ voluerit , sive vindicando , sive præstando .* Nec propterea confutatione dignam ducimus nonnullorum Rabinorum opinionem , qui Nabuchod. trasmutationem non aliam , quam quæ Pythagoreis statuebatur animarum μετεμψύχωσις , fuisse credidere . Itaque ut Patrum de hac re dicta conciliemus , statuendum est , nullam regis substantialem transmutationem ex homine in brutum extitisse , sed dumtaxat κατὰ συμβεβηκὸς regem immutatum fuisse ; facultatibus videlicet cum corporis , tum animi secundum accidentia transmutatis . Nisi enim ipsi idem corpus , eademque prorsus anima fuisset , nec quæ de ipso apud Danielem narrantur , vera forent , nec idem pœnas dedisset , qui peccarat . Ergo in ipsa regis anima intellectus mutabatur , quum ipse sese belluam existimans , sponte sylvas adiret , fenum ut bos appeteret , ac bestiarum ritu hominum consortia respueret : judicium corrumpebatur , quum nec consilia admitteret , neque belluinas ab humanis actiones secerneret . Memoria item rerum hactenus gestarum , necnon disciplinæ a teneris sibi traditæ interciderant . Sensuum humanorum usus gravissime lædebatur , quum æstus , ac frigora , aliasque cæli injurias non sentiret . Quo factum est , ut vestibus e corpore ademtis , nudus incederet ; cibos ferinos , stomacho jam corrupto cuperet , iidemque ipsi , palato infecto , saperent ; ac denique orationis humanæ usus ablatus esset : cui enim rationis usus plane ereptus est , hunc etiam

oris ,

---

(1) *Lib.* 18. *de civ. cap.* 18.

oris, linguæque humanæ usus destituit. Par consequebatur in corpore corruptio: primum enim illud ipsum ferreis compedibus vinciebatur, quemadmodum cum furiosis menteque captis fieri solet, ne sibi, vel aliis noxæ esset. Victus demum, ut rem paucis absolvamus, gressus, atque habitus pristini immutatio accedebat.



C A P. V.

Vers. 30. בה בליליא קטיל בלשאצר מלכא כשריא
Eadem nocte interfectus est Baltassar, rex Chaldæus.

Baltassar hic e stirpe Nabuchonosoris postremus surculus, hoc capite ejusdem filius non semel appellatur, sed revera fuit Nabuchodonosoris e filia nepos; quum ex Hebræi sermonis consuetudine vox בן late pro nepote, aut abnepote, quin etiam aliquando pro genero sumatur. Post *Nabuchodonosorem* enim fato functum regnum obtinuit filius ejus *Evilmerodachus*, quem quum interfecisset *Neriglissares* sororis suæ maritus, filium reliquit *Baltassarem*; qui quidem ab insignibus rerum Chaldaicarum scriptoribus *Beroso*, *Megasthene*, & *Abydeno* vocatur *Laborosoarchodus*, seu Labosordacus. Nam dubio procul eadem est persona diverso nomine, ut passim accidit, apud profanos, atque sacros scriptores designata: utrobique enim & ultimus Chaldæorum rex, & violenta morte oppressus dicitur.

Verſ. 31. ודריוש מדיא קבל מלכותא כבר שנין שתין ותרתין
Et Darius Medus ſucceſſit in regnum annos natus ſexaginta duos.

Celeberrima eſt controverſia, quiſnam fuerit iſte Darius Medus, qui, occiſo Baltaſſare, Chaldæorum regno potitus fuerit. S. Hieronymus, & poſt ipſum magna ſacrorum interpretum turba, Joſephum & Xenophontem duces ſecuti, aſſerunt, Darium iſtum Medum non alium eſſe, quam Xenophonteum Ciaxarem, filium Aſtyagis, Cyrique avunculum, quocum junctis copiis, poſtremo Chaldæorum rege interfecto, ceperit Babylonem. Hanc etiam nos olim viam ingreſſi ſumus, dum de more exercitationes in Iſaiam annis ſuperioribus edebamus. Quæ explicandi ratio poſt tales tantoſque viros etſi inoffenſo pede defendi poſſit; quia tamen juxta præclaram SS. DD. *Auguſtini* (1), & *Thomæ* (2) regulam juvat in expoſitione ſacrarum litterarum, præcipue ſi res ardua ac difficilis ſit, non uni tantum mordicus interpretationi adhærere, ſed & plures adprobare, quo facilius adverſus infideles Divinorum oraculorum veritas defendatur: idcirco & aliam hic apponimus explicationem magnorum virorum; qua quum uſus fuiſſet *Scaliger* (3), tantum abeſt, ut acerrimus ejus adverſarius Dionyſius Petavius contradixerit, quinimmo firmioribus munierit argumentis. Igitur poſthabito Xenophonte, de quo Cicero in priori ad Q. Fratrem epiſtola: *Cyrus*, inquit, *ille a Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti imperii;* Beroſum, Megaſthenen, & Abydenum ſequamur, qui & antiquiſſimi ſunt, & e Babylonicis archivis & annalibus hiſtoriam ſe expreſ-

(1) 12. *Conf. & ſuper gen. ad lit.*
(2) *Quæſ.* 4. *de Potentia*, ar. 1.
(3) *L.* VI. *de emendatione temporum.*

pressisse testantur. Hi autem tres memoriæ prodiderunt (1), post Nabuchodonosorem Nabopolassaris filium, tres illius vel posteros, vel propinquos imperasse, *Evilmerodachum* filium, *Neriglissarem* generum, *Laborosoarchodum* nepotem ex filia, in eoque Nabuchodonosoris defecisse stirpem. Hoc enim conjuratione principum interemto, *Nabonidus*, ut eum Berosus nominat, vel *Nabannidochus*, ut est apud Megastenem, particeps & ipse conspirationis, consensu omnium rex delectus est, nulla cum *Laborosoarchodo* propinquitate conjunctus. Ex quibus sic ratiocinatur Petavius: „ Postremus e stirpe Nabu-
„ chodonosori a Daniele memoratur Balthassar: huic Darius
„ Medus proxime successit *cap.* 5. *v.* 31. At ex Beroso, Me-
„ gastene, & Abydeno constat Laborosonochodum æque Nabu-
„ chodonosori posterorum fuisse postremum, & successorem habuis-

(1) *Non pigebit hic referre* Berosi & Megasthenis *testimonia, quæ prostant apud Jos. I. contra Ap., & apud Eus.* l.9. Dem. Ev. Prior enim ita loquitur: Ναβυχοδονόσορος μὲν ὖν, μετὰ τὸ ἄρξασθαι τῦ προειρημένυ τείχυς, ἐμπεσὼν εἰς ἀῤῥωστίαν μετηλλάξατο τὸν βίον βεβασιλευκὼς ἔτη μγ. τῆς δὲ βασιλείας κύριος εγενετο υἱὸς αυτῦ Ευειλμαράδυχος· ἔτος προςὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως και ἀσελγῶς, ἐπιβυλευθεὶς ὑπὸ τῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτῦ Νηριγλησσορόρυ ἀνῃρέθη βασιλεύσας ἔτη δύο: i. *Nabuchodonosorus postquam incepisset murum* (Babylonis) *prædictum, incidens in morbum vitam cum morte commutavit, quum regnasset annos XLIII. Regni vero dominus fuit filius ejus Evilmaraduchus. Is quum rebus præfuisset injuste & libidinose per insidias a Neriglissorooro, qui sororem ejus habebat, occisus est.* Megasthenes vero: Ναβυκοδρόσορος μὲν θεσπίσας παραχρῆμα ἠφάνιστο· ὁ δὲ οἱ παῖς Εὐιλμαλύρυχος ἐβασίλευε· τὸν δε ὁ κηδεςὴς αποκτείνας Νηριγλισσάρης λειπε παῖδα Λαβασσοαράσκον: *Nabuchodrosorus quidem vaticinatus evanuit. Filius vero, qui ei erat Evilmaluruchus regnavit, hunc vero sororis ejus vir Neriglissares mactavit, & reliquit filium Labassoarascbum.*

„ buisse Nabonidum. Ergo sicut Laborosoarchodus idem est, ac „ *Balthassar*, *Nabonidus* idem erit ac *Darius Medus* “. Quid quod *Ctesias*, qui quum *Herodotum* ex professo impugnandum susceperit, mendaciique convincere; in hoc tamen cum Herodoto concordat: ultimum Medorum regem Astyagem extitisse: tum hunc ipsum regno exutum a Cyro; Persasque subinde post Astyagem Media potitos? Quare ficta videntur, quæ de Cyaxare, & Dario Medo Astyagis filio, vel successore jactantur.

Dicitur autem a Daniele Darius iste *Medus*, i. ut ipsemet expressit *cap. 9.* de semine Medorum, quia a Medis oriundus erat: ut enim conjicit Scaliger, Pater ejus Assuerus seu Oxyares e Media profugus, aut illius certe majores, Babylone consederant.



C A P. IX.

Vers. 24. e 25. שבעים שבעים נחתך . . . .
מן־מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם עד־משיח נגיד
שבעים שבעה ושבעים ששים ושנים

Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt . . . . . .
Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.

Pro eo, quod vulgata ex Græco Συνετμήθησαν reddidit, *abbreviatæ* sunt, reddi aptius poterat vox Hebræa נחתך *constitutæ*, seu decretæ sunt ita, ut sensus sit 70. Hebdomadas in consilio SS. Trinitatis esse decretas, determinatas, & præcise constitutas, ut nullo casu sint mutandæ: quod enim Deus decernit, certissime eveniet. Porro ex celeberrimo isto Danielis vaticinio clarissime evincitur adversus Judæorum perfidiam, Messiam jamdiu venisse. Nam hujusce vaticinii scopum esse Messiam

&